

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sibylliakōn chrēsmōn logoi oktō**

**Châteillon, Sébastien**

**Basileae, 1555**

Ad candidvm lectorem [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-248466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248466)

AD CANDIDVM LECTO-  
rem Xystus Betuleius.



IDEO quosdam non leuis  
 autoritatis uiros, qui uidetur,  
 quicquid de Sibyllis memora-  
 tur, ceu fabulam ex uetustate  
 petitam iudicare: necdum il-  
 lis satis fieri uel à Castalione, uiro doctissimo,  
 atq; de re literaria, maximè pia, optimè meri-  
 to, qui euidentibus probationib. edocuit, uerè  
 hæc esse & germana Sibyllina: neq; mouentur  
 tot doctissimorum utriusq; linguæ theo-  
 logorum consensu, quib. post Apostolorum  
 tempora acerrimū aduersum obstinatas gen-  
 tes certamen fuit: quibus, suo ipsos gladio  
 iugulantes, ut Orphica, ita Sibyllina obijciunt:  
 ex quorum monumentis nos, collatione  
 cum nostris fragmentis facta, annotatiuncu-  
 las nostras conuimus. Quorum potissimi ex  
 Græcis sunt, Theophilus, Clemens, atq; ipse  
 adeo Eusebius: ex Latinis Lactantius noster,  
 & cui maxima fides passim habetur, Augusti-  
 nus. Non ignorant illi admiratores, historiam  
 de libris illis uel nouem, uel tribus (uariant e-  
 nim scriptores) quos anus Tarquinio uendi-  
 derat: non ignorant horum curam duumui-  
 ris mandatam, & ad Syllæ usq; tempora, qui-  
 bus incendio absumpti fuerunt, nunc à decē-  
 uiris, nunc à quindecim uiris sacrorum (quos

opinor, ob id ipsum *Σιβυλλίγας* Plutar. in Mario nominasse uideretur) fuisse curatos. Non ignorant, ad eos tanquam ad certum oraculū Romanos ueteres in reb. dubijs accessisse. Hinc, opinor,, arbitrantur, ex illo Syllano incendio eos ita fuisse oblitos, ut ne iota quidem amplius superfit. Sed non cogitant homines illi, Romanorum Sibyllinos latine scriptos fuisse, cū hi nostri Græci sint: ignorantes fortassis, postea Gabinium, M. Octacilium, & L. Valerium, ex consulto senatus Erythras profectos, mille uersus Erythrææ summa cura cōquisitos, in sacrario collocasse. Ignorantes fortassis etiam, quod Augustus incenso tempore belli Socialis Capitolio, sacerdotibus negocium dederit, ut per omnem Samum, Ilium, Erythras, Africam, Siciliam, & Italiam, cōquirerent omnia Sibyllæ carmina: & quantum fieri posset, uera discerni & interpretari iussit. Certum est, Ciceronem (ex 2. de Diuinatione) Sibyllina uidisse, atq; adeo ipsam Acrostichidem: siue in Asia uiderit, siue domi, nil refert. Quid igitur prohibet, quin illa ipsa sepius descripta, tandem ad posteros sint trāsmissa: nec dubito, quin Orphica quoq; alicubi lateant: si quis modò sit, qui illa lectori philologo communice: cuiusmodi multa etiā apud Clementem, Eusebium, & alios inserta leguntur. Nec mihi fraudi esse uolo, ista euulgasse: non hoc crede est cornicum oculos configere. Nec uereor,

rēor, nostrōs homines tam ingratos, ut ab ijs idem expectem supplicium, quo Tarquinius tyrannus M. Aquilium (sic enim legendum cenſeo) miſerē affecit: quem culeo inſutū ceu parricidam in mare proiecit, quōd Petronio cuidam deſcribendos dediffet. Imō ego ſpero grates à mortalibus non exiguas, & nunquam intermorituras: qui Oporino, ſolertiſſimo bonorū librorum uindici, in uſum rei literariæ deſcribendos communicauī. Vale, Auguſta: menſe Ianuarij, Anno 1551.

IOANNI OPORINO SVO

*Xyſtus Betuleius S.*

**I**Nter cæteros illos Græcos codices, Oporine chariſſime, quos magnificus noſter ſenatus nuper Venetijs emi curauerat, non alius mihi meiſq; ſtudijs commodior in præſenti erat, quàm Sibyllinus hic: eo quōd Lactantio, quem iuuentuti noſtræ in ſchola tum enarrabam, mirificè inſeruire uidebatur. Nec ſefellit me opinio. nam Sibyllina teſtimonia, que iſte autor plurima citat, exceptis pauculis, inueni omnia, mirabiliter multis in locis à ſcripto Sibyllino codice uariantia: ſed emendatiora & expeditiora plerumq; nonnunquam tamē impedita quoq; magis. Sed Deus bone, quanta lux alterutri ex alterutrius collatione aſfulget? Fideliſſimè ſiquidem mutuas tradūt operas. Inuenimus etiam Acroſtica illa, quæ

ex Eusebio hactenus seorsim ab Aldo excusa, apud Augustinum olim translata circumferabantur. Sed quia nunc Eusebiana historia integra superioribus annis Parisijs regia litera in lucem edita, & à Musculo cōpatre nostro nuper latinitate donata est, integram adijcere uisum est: quanquam interpres in Acrostichide, Gyraldi quàm sua uersione uti maluit. Explicat autem Eusebius obiter quartam Virgilij Eglogam, sæpe à multis de Christo expositam, quam etiam Græcè pius pater reddidit. Eam, inquam, rem totam adijciendam censui, quæ Sibyllis nostris ut lucem multam adfert, sic mirificè cum hoc argumento congruit. Inuenimus item casu uersiculum à Sozomeno in Tripartita de cruce Domini citatum: quem in eadem quoque Lutetiana editione inuenimus. Quid de Theophilo dicam, qui ducentis propè annis Lactantium superat: Hic operi Sibyllino *ἀνίστατο*, iam postremò tantum non integrum caput reddidit: cæterùm uulnera non Sibyllina modò, sed etiam Lactantiana curauit. Ex quibus plurima fides huic Sibyllino uolumini acquiritur. Adde quòd exemplum scriptum nusquam indicabat, cuius nam Sibyllæ quique uersus essent: quod licet circumspectus lector facile subolfaciet, ex Lactantiana tamen collatione quilibet, si non in omnibus, in plerisque certè intelligere poterit. Quare uisus sum mihi non paruam à prijs lectoribus imitatus

initurus gratiam, si collationem, quam priuatim, propter Lactantianam enarrationē primū feceram, tum etiam ex alijs quos dixi, quæq; suis annotaram locis, & Sibyllinæ quoq; editioni annecterem: suū interim cuiq; iudicium relinquens. Neq; tibi, cuius iudicio plurimum tribuo, hoc nostrū consilium improbari arbitror. Ne autem margines, quæ has annotatiunculas nostras minimè capere videntur, obliniremus, pauculas aliquot pagellas addere uoluimus, & in marginibus Sibyllinis numerorum characteres ponere, qui uelut indices, quæ uel ex Lactantio uel ex alijs quos memorauimus, Sibyllinis respondent, indicarent. Admiscuimus his, quæ ex Antimachi, quam mihi communicaras, collatione lacunas suppleuerunt: librariorum errores, quos emēdauit, omittentes: non ignorantes, te pro tua solertia, mendas è medio sublaturū. Inseruimus itē inter annotatiunculas, quæ in scripto codice passim fuerant in margine adiecta. Hæc omnia pro tua industria, mihi Oporine, ita dispones, ut lectoribus grata fore intellexeris.

Vale.

ANNO.